

ENCOMION

*Caelatum quod Phidiacis hinc inde figuris
Plus magis effulget, quam par est carmine dici.*

*Annona viuitas. Omnia tum precio fuerant venalia iusto,
Praesertim panis nummo diuenditus aequo,
Magna fuit rerum pleno exundantia cornu.*

*An. 1247. Ergo ubi septuaginta anni sunt ordine lapsi;
Hac structura stetit, longis fabricata diebus,*

*Duodecim Apostoli cingunt
Templum Reutlingense utroque
latere stant feni.* *In primis Christi duodenus Apostolus extra
Ordine circumstat (visu dignumque relatu)
Parte ab utraque: ac si templum moderamine sancto
Rite gubernarent, siquidem praecipua suorum
Intus librorum resonent, Christumque propinent:
Nimirum Templis solenne sit edificandis,
Illic ut vigeant tantum pia dogmata Christi:
Nomine sub cuius constructum tale fuisse,
Isthaec Sanctorum signant simulacra virorum.
Hoc septem portas intrantibus exhibet altas,
Interius splendet totum de marmore pictum,
Et simul ornatum varijs laquearibus altis,
Bis senis fultam pulchris de more columnis.*

*An. 1592. Organo non in templo
renouarunt nuper
Nobiles viri
Meggenzeri lo-
an. Conradus &
Iacobus à Vel-
dorff Domini in
Mülheim, & E-
gelstall &c.* *In medio Templi cathedram super Organon haeret,
Harmonicis totam complens concentibus adem.
Ad cantum resonans, atque excita pectora mulcens:
Quod Meggenzeri de nobilitate vetusta
Conspicui pietate viri, factisque decori,
Centum florenis renouarunt pluribus auctum
Sumptibus egregium fecerunt Organon illud.
Sit Meggenzeris toties pia gratia dicta
Nobilibus, quoties Musis sonat Organon altis.*

Religio Reutlingensium. *Ergo repurgatum tenebris & fraude Papatus
Hic Euangelium sonat acceptabile verbum
Quotidie: Christe non emoritura parenti.*

GIA-